1890

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI SECVNDI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XVI M. APRILIS VSQVE AD D. XV M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXX

HABEBVNTVR.

J. Vahlen

De sermone Liviano observationes criticae

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS

(G. VOGT).

VNIVERSITATIS LITTERARIAE

FRIDERICAE GVILELMAE

RECTOR ET SENATVS.

Enumeratio lectionum academicarum, quas indicimus commilitonibusque commendamus, ut suam habeat praefationem litterariam, observationes sermonis Liviani proponimus, paucas et exiguas, sed quae tamen exemplo esse possint, magnae rem cautionis esse veterum scriptorum emendationem, ne dum prava corrigere instituimus, depravemus ultro quae recte scripta sunt. Nam id quidem facile est, si quid quod alienum videtur a communi more sermonis aut ab explorata scriptoris consuetudine discedit suspicionem vitii movet, dicere quid recte scribi potuerit, quod genus inventa multa magnorum criticorum specie legentes decipiunt, sed ne sensu saepe fallaci inducamur, magis illud quaerendum est, cur recte scribi non potuerit, quod fide vetustatis propagatum est. Id autem qui argumentandi vi sedulo demonstrare aggreditur, non potest non multas et minutas res operosa saepe observatione persequi, ut et quid tribui scriptori recte possit et quid ab eo abiudicari oporteat, stabili iudicio sciat distinguere. Qua in re non raro peccatur a criticorum pueris, qui suis decretis definire velle animum inducunt, quae nisi laboriosa via scrutandi sciri et cognosci non possunt. Quamobrem nos etiam atque etiam auctores sumus studiosis iuvenibus quibus hae litterae cordi sunt, ut priusquam emendare scriptores veteres incipiant, indefessa lectione subtilique observandi cura eorum sermonem penitus cognoscere studeant, si quid autem aliquando probabili opinatione restituere posse sibi videntur, id ne omittant ad universum scriptoris usum et naturam referre. Sed nos de parvulis quibusdam quaestionibus Livianis agimus.

I. In libro 44, 2, 2 haec leguntur.

Placuit non ultra morando in Thessalia tempus terere, sed movere extemplo castra atque inde pergere [inde] in Macedoniam; et praetorem dare operam, ut eodem tempore classis quoque invehatur hostium litoribus. Praetore dimisso consul (Q. Marcius Philippus) menstruum *iusso milite secum ferre* profectus *decumo post die quam exercitum acceperat castra movit.*

In extrema sententia Io. Nic. Madvigius duplex incommodum et cognovit primus et sustulit (Emend. Livian. a. 1860 p. 558); primum *menstruum* quia non addito nomine sine exemplo diceretur, addidit, quod intelligi videbatur, *frumentum*; deinde *profectus*, quod verbis idem significantibus *castra movit* praemissum orationem ineptam redderet, tamquam 'interpretamentum ad *decumo die* adscriptum' delevit. Ex quibus *menstruum* omittimus ut ambiguum; nam hoc nude positum non habemus qui stabiliamus (Graecorum enim usu τὰ ἐπιμήνια vocantium, quae Cicero *menstrua cibaria* dixit, non multum adiuvamur), sed ne auctam quidem orationem, quae non minus singularis est, Livio satis certo reddi putamus. De *profectus* dicturi sumus: de quo Weissenbornius, adversatus ut solebat Madvigio, ascita universa μακρολογίᾳ Liviana, quae multa habet et saepe memorabilia exempla, vacillanti iudicio nihil admodum ad hanc rem quod valeret effecit. Nuper vero ab Guilelmo ab Hartel quod propositum est, *iusso milite secum ferre profecto*, veremur ne magis mirabile videatur quam quod auferri emendando voluit; hac enim participii forma ad *iusso ferre* adiecta inutiliter oratio et insolenti modo oneratur, quem geminatorum participiorum exempla quae congessit confirmare non possunt. Sed Madvigius paucis annis post, cum ad hos libros edendos venisset, alterum eiusdem orationis exemplum, quod aciem eius ante effugerat, attendit, 42, 54, 6

Diruto magna ex parte et incenso oppido profectus *ad Phalannam castra movit; inde postero die Gyrtonem pervenit.*

Qua re nihil motus et perseverans in sententia lata rursus deleri absurdum participium iussit, nisi quis forte maluerit *castra posuit* scribi; qua de re dixit a. 1864 in praefatione editionis p. xv. In qua opinione olim Hartelius eum secutus erat, sed ut *castra promovit* restituendum censeret; idem nuper *proficiscendi* notionem additam in hac oratione tolerari posse iudicavit, propterea quod simul finis itineris designatus esset. Verum his duobus tertium accedit exemplum, quod et Hartelium fefellit et antea Madvigium, qui quae in praefatione disseruerat, nulla re addita a. 1877 in repetitas Emendationes Livianas recepit. Legitur enim in libro 21, 48, 4

Scipio . . quamquam gravis adhuc vulnere erat, tamen quarta vigilia noctis insequentis tacito agmine profectus *ad Trebiam fluvium iam in loca altiora collesque impeditiores equiti castra movet.*

Haec autem tria enuntiata inter se plane paria qui contenderit, concedet, cum eodem incommodo laborent, eodem esse remedio sananda, quod non potest esse nisi parti-

cipium sublatum. Et tamen vel audaciam retinere potest, quod non semel sed ter in eodem dicendi genere iubemur idem participium, sive illud errore natum est sive consilio*) prave adiectum, delere, cum praesertim participium ipsum convenienter ad orationem Liviique consuetudinem locum obtineat, sic ut desideres si abesset potius quam cum adsit abiicere velis, offensio autem eo demum oriatur, quod praemisso hoc participio sententiam claudit verbum *castra movit*, quod eandem cum illo vim profectionis habet. Hanc enim vitii naturam Madvigius perspexit, qui identidem nugas esse pronuntiavit, quod quis *profectus castra movisse* h. e. profectus discessisse diceretur; ceteri in mera abundantia orationis haerentes, eam ut tutarentur, exemplis usi sunt ab hac causa alienis. Verum si disceptatur, participione in eiusdem sententiae continuatione comparis significationis verbum superaddi potuerit, paene miramur, quod Madvigius hoc in una oratione ferri posse negavit, in aliis idem clementer perpessus est. Quid enim de significatione si quaeritur alterum alteri magis simile esse potest quam est *frustrari* et *eludere?* Et tamen Livius scripsit 27, 44, 9.

> *Adiiciebant etiam periti rerum Hispaniae, haud cum ignoto eum duce C. Nerone congressurum, sed quem, in saltu impedito deprensus forte, haud secus quam puerum conscribendis fallacibus condicionibus pacis* frustratus elusisset.

Ubi abesse poterat *frustratus*, sed qui deleverit participium, de elegantia orationis detraxisse censendus est; et scribit Livius, ut eandem manum agnoscas, non ita multo post, c. 47, 6 *tantae rei frustratione Hannibalem elusum.* Ac similiter Cicero locutus est, de officiis 1, 22, 77 *consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt*; de natura deorum 2, 11, 30 *naturam eam quae res omnes complexa teneat*; 2, 18, 47 *quid enim pulchrius ea figura, quae sola omnes alias figuras complexa continet*; 2, 51, 128 *animal, quod cum ex utero elapsum excidit*; Petronius quoque c. 16 *dum loquimur, sera sua sponte delapsa cecidit.* Neque poetica libertate vindicatur Propertius quod dixit 4, 4, 64 *Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt* (cf. 3, 15, 34) aut Vergilius (Aen. 6, 309) *Quam multa in silvis autumni frigore primo Lapsa cadunt folia,* et Ovidius (Heroid. 20, 210) *Deciderint humeris pallia lapsa meis*; et in altero participiorum genere Catullus 64, 178 *ah gurgite lato Discernens ponti truculentum ubi dividit aequor*; 314 *prono in pollice torquens Libratum tereti versabat turbine fusum,* aut Lucretius 6, 138 *dum validi vis incita venti Perscindat nubem perfringens impete recto.* Qui cum talia coniungunt *discernens dividit*, *perscindat perfringens*, nihil diversae notionis participia verbis

---

*) De consilio addendi Madvigius vario modo iudicavit; 44, 2, 2 *profectus* 'interpretamentum' esse dixit 'ad *decimo die* adscriptum non animadverso sequi *castra movit*'; 42, 54, 6 *profectus* additum 'ad declarandum, quid esset *castra movere*'. Quorum tamen neutrum ne per se quidem ita comparatum est ut facile fidem faciat.

addita afferre apertum est. Neque Livius non poterat vel hoc modo recte scribere *media nocte profectus castra movit*; quod non magis ineptum erat quam quae Ciceroni et ceteris probantur, *elapsum excidit*, *complexus continet*. Quamquam qui subtilius rem perspexerit, fatebitur, non temere orationem istam abundare, sed in omni hoc genere id agi, ut addito participio rei gerendae ratio depingatur legentisque quasi ante oculos ponatur, ab eodemque consilio verba *proficisci* et *castra movere* in summa propinquitate notionum non abhorrere. Sed Livius in istis enuntiatis scitius sententias formavit ita ut suum utrique verbo appositum adiiciens grata quadam aequabilitate orationem distingueret, *incenso oppido profectus ad Phalannam castra movit*; *tacito agmine profectus ad Trebiam castra movit*; *milite sua secum ferre iusso profectus hoc et hoc die castra movit*. Quare factum est, si quid tamen offensionis est in eiusdem significationis verbis coniunctis, id ut plerumque ne sentirent quidem, nedum fastidirent. Madvigium autem intelligimus nimium fuisse in eo quod perversitatis insimularet orationis formam quae nec ratione careret nec exemplis, qui cum damnaret quae recte scripta essent, sua auctoritate alios in errorem traxit.

II. Utemur altero exemplo, quo declaretur non satis tuto de uno loco omissis similibus iudicari. Libro 42, 63, 5 in oppugnatione Haliarti haec scripta sunt.

> *Cum operibus lentior oppugnatio esset, scalas per manipulos dividi praetor* (Lucretius) *iussit*, ut *corona undique moenia adgressurus, eo magis suffecturam ad id multitudinem ratus, quod, qua parte palus urbem cingit, nec attinebat oppugnari nec poterat.*

In his Madvigius auctore Drakenborchio *ut* particulam delevit, idque secutus est nulla re adnotata Weissenbornius. Hartelius et ipse *ut* pravum esse illis adsentiens, quia unde natum esset non intelligeretur, non delendam sed mutandam esse particulam ratus, *et* reponi iussit, quod *etiam* esse voluit. Sed praetoris mens non ea fuit, ut coronam addere ad opera vellet. Sunt enim in oppugnandis moenibus duo aggrediendi genera, quorum alterum operibus et machinationibus, alterum scalis et corona continetur. Quae quamquam etiam coniuncta adhiberi poterant (37, 32, 1—5), tamen plerumque inter se seiungi et discerni solent (37, 32, 1; 26, 45, 5); et nunc quidem dux ob eam causam, quia operibus oppugnatio lentior erat, relictis operibus a scalarum et coronae usu celeriorem successum exspectabat. Itaque *et* ferri non potest; *ut* autem Drakenborchius putarat ex praecedentis verbi (*iussit*) exitu ortum esse, exemplo usus 45, 20, 3 *excessit.* [*Ut*] *raro alias quisquam rex aut privatus, tanto favore tantoque omnium assensu est auditus.* Quem locum aegre ferimus ab Hartelio praetermissum esse; nam nos quidem valde ambigimus de ista particula omnium consensu proscripta quid iudicandum sit. Sed gravius est et cum hac causa quam agimus coniunctum, quod legitur 35, 50, 11.

> *Romani milites, quingenti ferme et ipsi, cum iam Menippus castra ante Salganea ad Hermaeum, qua transitus ex Boeotia in Euboeam insulam*

> *est, haberet, venerunt. Micythio erat cum iis, legatus ab Chalcide ad Quinctium ad id ipsum praesidium petendum missus. Qui postquam ab hostibus obsessas fauces vidit, omisso ad Aulidem itinere, Delium convertit,* ut *inde in Euboeam transmissurus.*

Haec enim sententia illi quam supra posuimus ita similis est, ut quod de altera iudicetur, non possit non valere in utramque. Sed eius immemor fuit Hartelius. Weissenbornius, qui illic et ipse *ut* delevit, hic defensitat particulam sed exemplis aut pravis aut ab hac quaestione alienis; illius loci qui unice compar erat et comparabilis non meminit. Madvigius sibi constitit, qui rursus *ut* particulam, nunc quidem de Ussingii sententia, notavit, ratione addita; alterius loci ne is quidem admonuit. Sed his compositis sententiis, si nihil aliud, hoc iam effectum videtur, ut particulam aut utroque loco abiiciendam esse intelligatur, aut retinendam utroque eademque interpretatione vindicandam, variare autem emendando non licere. Et Madvigius quidem qua ratione hoc posteriore loco particulam participio iunctam damnavit, cum ita scribit in praefatione p. XXX 'non simulatio consilii, sed consilium significatur', ea cadit in utrumque, quorum neuter simulati consilii significationem habet; ut si haec unica vis est istius orationis, dubitari non possit, quin *ut* errore aut pravo consilio adiectum utrobique a Liviana oratione secludi oporteat. In qua re ne praepropere agamus, accurate disceptandum est, quae vis et sententia participio futuri ex addita *ut* particula accrescat. Nam quod Livius scribit 21, 32, 10 *luce prima subiit tumulos*, ut *ex aperto atque interdiu vim per angustias facturus*, ipso auctore intelligimus Hannibalem non id egisse, quod videri volebat agere, sed simulasse alterum, alterum ut consequeretur; multisque is usus exemplis constat. Sed quae idem scribit 31, 42, 5

> *Aetoli (iam enim et quae per agros sparsa multitudo fuerat, receperant se in castra)* ut *defensuri munimenta circa portas vallumque armatos disponunt, dum quietos hostes ipsi feroces ex tuto spectabant,*

in iis nos nullam simulationis causam agnoscimus; quippe Aetoli, quamdiu virtus eorum inconcussa est, id agunt, ut munimenta defendant, verum metu mox perculsi omittunt consilium initum et non insequuntur. Sed esto hoc ambiguum: quid iudicamus de cognata particula *tamquam*, quae isti participio iuncta ut saepe simulationis significandae causa ponitur, ita nonnumquam nihil simulati consilii indicat, velut in his quae scribit Livius 21, 61, 1

> *Priusquam certa huius cladis fama accideret, transgressus Hiberum Hasdrubal cum octo milibus peditum, mille equitum,* tamquam *ad primum adventum Romanorum occursurus, postquam perditas res ad Cissim amissaque castra accepit, iter ad mare convertit*

et 37, 23, 6

> *Utraque classis postero die luce prima,* tamquam *eo die pugnatura, e portu movit, et postquam superavere Rhodii promuntorium, quod ab*

Sida prominet in altum, extemplo et conspecti ab hostibus sunt et ipsi eos viderunt.

Quid enim in his simulationis est? Voluit haud dubie Hasdrubal concurrere cum Romanis eoque consilio Hiberum transgressus est; sed inopinato intercedentibus iis quae Livius dicit consilium abiecit. Non minus et Romanis et hostibus congrediendi classe voluntas constabat; nisi quod incertum erat, confecturine essent eo die quod parabant. Quodsi tamen eam particulam loco deiicere non licet, neque ita facile amoveri potest, cur *ut* intolerabile habetur in consimili oratione, quae verum quidem consilium aperiat, sed consilium, quod qui ceperunt non ita ut voluerunt exsecuti sunt. Nam a Delio Romanos non transmisisse in Euboeam indicio sunt quae deinceps Livius narravit; neque Lucretius praetor rem ita plane, ut sibi proposuerat cum scalas per manipulos dividi iuberet, perfecit. Sic enim tradit Livius (6) *Ipse ab ea parte qua duae turres quodque inter eas muri fuerat . . duo milia militum delectorum admovit, ut eodem tempore, quo ipse transcendere ruinas conaretur, concursu adversus se oppidanorum facto, scalis vacua defensoribus moenia capi parte aliqua possent*; idque ita factum est (9). Quibus locis, si recte Livii mentem accepimus, apparet non sine causa *ut* particulam additam esse eaque deleta fieri non posse quin aliqua parte scriptoris consilium obscuretur. Itaque retinendam esse utrobique eam vocem censemus, quam praesertim nec interpretamenti loco adiectam neque bis terve eodem errore ortam esse credibile sit.

III. In oratione quam habuit de Aemilii Pauli triumpho Servilius 45, 39, 4 hoc loco utitur.

Et legiones ex Illyrico laureatae urbem inibunt et navales socii; Macedonicae legiones suo abrogato triumphos alienos spectabunt?

Sic haec Grynaeus ediderat sublata parvula labe quam codex contraxerat, qui exhibet ab illis vix distantia *abrogat ut numpos alienos*. Ea rata habuerunt ceteri editores omnes: primus Madvigius instabat mendosa esse, et Livio restituit *suo abrogato triumpho, alienos spectabunt*. Idque is probavit non Weissenbornio quidem, qui repugnabat de more, quamquam nihil utile ad redarguendum afferebat, sed ei qui Weissenbornii Livium sua opera renovavit Muellero. Nos qui contradicturi sumus rem levidensem agimus, sed etiam in minutis par est caveri ne scriptoris manus criticorum sententiis depravetur, ac praeterea non inutile videbatur in hac parte Livii morem qui in diversa discessit cum cura persequi. Nam Madvigius cum ita scribit (Emend. Liv. p. 747) 'vitiose substantivum a priore membro, ubi audiri nequit, transfertur ad alterum, ubi potest; scribendum saltem tum erat *suo abrogato alienos triumphos*, ut 21, 19, 9 *uti vestram Carthaginiensium amicitiae praeponamus*', mero sensu ductus iudicavit, neque omnia quae usus probat complexus est. Solet autem Livius in hoc genere orationis, cum uno defungi nomine possit, bis idem nomen ponere, velut ut pauca seligamus exempla

quanto maior ea clades superioribus cladibus fuerit 22, 61, 10

transversis cuniculis hostium cuniculos excipere 23, 18, 9
has diversas sententias media sententia P. Valerii vicit 26, 8, 6
raptim a captis propioribus castris in altera transcursum castra est 25, 39, 7
ut ex duabus legionibus una legio . . esset 26, 28, 7
quam compar consilium tuum parentis tui consilio sit 28, 42, 20
si tutelam alieni regni suum regnum velit facere 24, 22, 5
nec magis ducem duci parem quam tumultuarium exercitum suum Romano exercitui esse 29, 28, 8
consuli L navium classis ex duabus classibus . . decreta 30, 41, 6
civitas novis honoribus veteres regis honores auxit 32, 40, 8
claudas mutilatasque naves apertis navibus remulco trahentes 37, 24, 6
haec soluta obsidio locum alteri novae obsidioni dedit 42, 56, 5.

Ubi vero semel ponit nomen quod bis intelligi oportet, aut priori parti orationis addit, sive simplici verborum ordine, velut

ni ex mala fama in bonam vertisset 27, 8, 5
in recentem equum ex fesso transultare 23, 29, 5
ut publicum quoque foedus privato adiiceretur 29, 23, 5
ut Hannibalis amicitiam ac societatem quam populi Romani mallent 24, 13, 2
L annis feliciter expertam amicitiam nunc incognitae, quondam infideli praeferendam 24, 28, 6
e media acie in extremam . . agi 21, 56, 1
non separantem suas res a publicis 24, 22, 14
regiam societatem Romanae praeposuissent 33, 13, 8
quantas copias praebituri ad bellum essent, quae loca terrestribus copiis, quos portus maritimis 35, 12, 16,

sive artificiosius ordinata oratione, ut epitheton et nomen utrimque alterum amplectantur epitheton,

animum convertere ad publicam a privata curam 24, 4, 4
segregetque equestrem a pedestri pugnam 28, 33, 11
novusque super veterem luctus . . adiectus esset 22, 61, 3
et Punicum insuper Gallico bellum auctum 21, 26, 1
ut optabilem ex miserrima fortunam haberemus (*fortuna* cod. Put.) 28, 39, 6
novus pro diruto murus obiiciebatur 38, 7, 5
si novus et incognitus pro vetere et experto habendus rex esset 35, 31, 10
nocturnus diurno continuatus labor est 36, 23, 6

aut posteriori parti adiungit, quod in priore audiendum est

idem enim tui quod hostium milites volent 22, 39, 18
Hispaniam omnem averterat ad Romanum a Punico imperio 27, 17, 2
intervenit maiori minor cogitatio 29, 6, 1
Pleminius Romano, Hamilcar Punico praesidio praeerat 29, 6, 16

transgressusque ex regia in praetoriam navem 21, 50, 8
apparebat tuta celeribus consiliis praepositurum 22, 38, 13
per dies aliquot ab orto usque ad occidentem solem 22, 7, 14
ipse ad suam veterem nova Lentuli classe adiuncta 30, 36, 3
orsus ab Antigoni primum, suis deinde erga gentem eam meritis 32, 34, 11
cum . . terrestri navalem exercitum iunxisset 33, 38, 9
adversamque prospera pugna oblitteraverit 33, 36, 15, unde licet fortasse quae 26, 29, 10 mutilata in codicibus leguntur *ex quo primus post adversae pugnae gloriam ceperat*, variis supplementis temptata a doctis, in hunc modum ad integritatem revocare *ex quo primus post advers*[as prosper]*ae pugnae gloriam ceperat*; neque enim quae proxime insequuntur verba *prosperis tum maxime bellicis rebus* obesse huic conformationi videntur;
alios in hospitiis, alios vagos per hiberna milites . . excipiebant 33, 29, 2
ab ima in summam testudinem . . cum evasissent 44, 9, 7
haec prudenter animadversa a maiore cum adsensu minor frater quique cum eo erant acceperunt 45, 11, 6
qui regum suam, Persei qui secuturi amicitiam essent 42, 19, 3
potiorem populi Romani quam regis Persei amicitiam habere 43, 7, 3
munimenta . . a Macedonico ad Toronaicum mare perducit 44, 11, 4
hinc Toronaico, hinc Macedonico saepta [*mari*]. *eminet* ibid. 2; sic enim quod in codice est *saeptam meminent* suadente altero loco corrigendum cum plerisque putamus potius quam cum Hartelio *hinc* [*mari*] *Macedonico saepta*.

Et haec quidem ostendunt revera Livium saepe in priore membro orationis nomen ut audiretur transtulisse ad alterum; id quod Madvigius negabat fieri posse; qui quidem constantiam probavit in eo quod 42, 14, 6

*Et legatio Rhodiorum erat hac falsaturus princeps, haud dubius**) *quin Eumenes civitatis quoque suae* (*sua* cod.) *Persei criminibus iunxisset*,

quia *crimina* ex eo quod sequeretur *criminibus* audiri posse dubitabat, aut inverso ordine *civitatis quoque suae crimina Persei iunxisset* scribendum fuisse affirmat, aut priori parti suum nomen addendum, quale est quod coniectura invexit cum ederet *civitatis quoque suae* [*insectationem*] *Persei criminibus iunxisset.* Nos si istas rationes probaremus, ex ea quam diximus consuetudine Liviana bis idem nomen positum mallemus, *civitatis quoque suae* [*crimina*] *Persei criminibus iunxisset.* Sed nobis Livius invitus cogi videtur, si aut suum utrique membro addere nomen iu-

*) De priore parte huius loci valde depravata et quam Madvigius parum feliciter tractavit, quoniam brevi non potest, nunc non agemus, alias ad hanc quaestionem reversuri.

betur, aut in priore ponere quod maluit posteriori parti adiungere. Madvigius autem eodem sensu ducente ne ea quidem ferenda censuit, quae 23, 37, 2 leguntur

> *Adversus ligneam ingentem admotam urbi aliam turrem ex ipso muro excitavit consul Romanus,*

sed quia 'nomen necessario cum superioribus adiectivis coniungendum fuerit' (Emend. Liv. p. 326) transposuit verba, *adversus ligneam admotam urbi turrem aliam excitavit.* Quae quamquam improbari oratio nimirum non potest, tamen renuente Livio pro vera aut necessaria venditari non debuit.

His autem quae diximus, ut iam redeamus unde orsi sumus, quoniam apparet, scribi potuisse quod Madvigius iussit, *suo abrogato triumpho alienos spectabunt,* potuisse etiam, quod paene mirere Madvigium largiri, *suo abrogato alienos triumphos spectabunt,* illud superest ut quaeratur, probarine potuerit etiam id quod ex codicis memoria prodiit *sub abrogato triumphos alienos spectabunt.* Quod nos cum affirmandum esse ducimus, non utemur Aristophanis versu de Equitibus (816), qui eodem ordine scribit ἀφελὼν οὐδὲν τῶν ἀρχαίων ἰχθῦς καινοὺς παρέθηκεν, cum posset καινοὺς ἰχθῦς, sed ex Livio ipso petemus quo nobis vincere posse quod volumus videmur. Nam quae in eodem libro c. 43, 3 leguntur

> *Itaque sicut praefulgebat huic triumphus recens, ita apparebat ipsum per se intuentibus nequaquam esse contemnendum,*

nemini vitiosa esse visa sunt, et tamen illa qui damnarunt, cur non iubent scribere *praefulgebat huic triumpho recens*, aut ordine quidem mutato *praefulgebat huic recens triumphus?* Nec multum dispar est, quod nunc editur 44, 9, 8

> *Huic testudo similis humillimae parti muri admota.*

Cum enim codex exhibeat *huic testudo simillime parti,* Grynaeus autem *huic testudini simillima* effecerit, Madvigius ipse praeeunte Kreyssigio *huic testudo similis humillimae p.* restituit (Emend. Liv. p. 684). Addimus tertio loco 21, 26, 3

> (*praetorem cum una legione . . . auxilium ferre iubent*) . . . *Et P. Cornelius in locum eius quae missa cum praetore erat scripta legione nova profectus.*

Nam ibi quoque eadem ratio suadere poterat ut scriberetur *in locum eius quae missa erat nova scripta legione*, sed videmus Livium alteram praeferre seriem, quamquam etiam omitti nomen poterat, quod praecesserat (*in locum eius quae missa erat scripta nova*) aut in priore parte orationis poni (*in locum eius legionis quae missa erat scripta nova*). Sed hoc loco qui maluit quod librorum fides testatur, cine altero videmur iniuria velle demere, quod codex demonstrat, *suo abrogato triumphos alienos spectabunt?* Et ne Madvigius quidem ipse semper idem sensit de ista collocatione nominum, qui non solum ea quibus supra utimur exempla Liviana intemptata relinquit, sed apud Senecam restituit ultro, quod ex illa ratione damnare potius debebat. In consolatione enim ad Polybium c. 10, 4 haec ex Madvigii emendatione eduntur.

Quod habuisti ergo optimum fratrem in summis bonis pone: non est quod cogites, quanto diutius habere potueris, sed quam diu habueris. Rerum natura illum tibi sicut ceteris fratres suos non mancipio dedit, sed commodavit; cum visum est, de iure repetiit nec tuam in eo satietatem secuta est, sed suam legem.

Qui quidem recte quod vulgabatur *sicut ceteris fratribus* redarguit; sed in corrigendo Senecae non eandem quam Livio normam adhibuit; ea enim poscebat *natura illum tibi sicut ceteris suos fratres dedit.* Nos ne illum quidem verborum positum reprehendimus; sed tamen quia in libris scriptum est *sicut ceteris fratribus suos*, hoc esse verum arbitramur; neque enim omnes homines fratres sunt aut habent fratres, ille vero tantum de fratribus ceteris loquitur, h. e. de iis hominibus qui habent fratres ut et ipsi appellari fratres possint, eatenus ut communis hominum sortis admoneat.

IV. Pergimus colligere minutias. Libro 44, 30, 9 quae habet codex Vindobonensis

Caravantium in Caviis Durnium oppidum advenientem benigne accepit; Caravandis, altera urbs, exclusit; et agros eorum effuse vastaret, aliquot palati milites agrestium concursu interfecti sunt,

ea cum Grynaeus et ceteri editores addita *cum* particula ita exhibuissent *et* [*cum*] *agros eorum*, in ephemeride gymnasiorum Austriacorum a. 1861 p. 264 adnotatum erat, haec potius Livio esse reddenda *et agros eorum* [*cum*] *effuse vastaret.* Idque Martinus Hertzius recepit, repudiarunt et Madvigius et cum Weissenbornio Muellerus. Quod Madvigium fecisse mirum videri poterat, quia 42, 43, 2 cum haec essent in codice

Ad id necessaria petitio indutiarum videretur, cuperetque Marcius neque aliud conloquio petisset, gravate et in magnam gratiam petentis concessit,

non *ad id* [*cum*] *necessaria* cum Grynaeo, sed plane ad illam rationem *ad id necessaria petitio indutiarum* [*cum*] *videretur* scribi maluit; sed id rursus Weissenbornius in utroque quod paravit exemplari aspernatus est. Apparet in re tenui, quod in longe maioribus saepe cognoscitur, non constanti iudicio criticos sed libidine ad subitas opinationes agere. Ambigunt autem etiam alibi, cum ista particula desideretur, de loco ubi eam addi oporteat, velut 24, 45, 2 olim vulgabatur [*cum*] *eam rem ad consilium rettulisset Fabius,* postea Perizonio auctore *eam rem ad consilium* [*cum*] *rettulisset* edi coeptum est; et 28, 43, 1 *Cum oratione ad tempus parata Fabius, tum auctoritate et inveterata prudentiae fama magnam partem senatus et seniores maxime movisset pluresque consilium senis quam animum adolescentis ferocem laudarent, Scipio ita locutus fertur,* sunt qui nihil addendum censeant; nos Madvigio assentimur, *cum* coniunctionem abesse non posse, sed eam cum ipse ante *magnam* posuisset, nuper de sententia Weissenbornii *maxime* [*cum*] *movisset* scripserunt. Ac plerumque ut causa omissae particulae obscura non est, velut, ut haec superioribus addamus, 45, 5, 1 *is quoque, praesenti admoto terrore, modo*

minis, modo spe perlicere, ut se traderet, [*cum*] *conaretur*, aut 28, 40, 2 *id consilium haudquaquam primoribus patrum* [*cum*] *placeret* (ubi *cum* a parte quidem codicum abest), ita ea re regitur emendandi ratio; ut si nulla erroris ansa cognoscatur, dubitatio haereat aut de particula quae addenda sit aut de loco cui ea debeatur, velut quae 42, 57, 12 leguntur *sperantes fore, ut Romani equites abeuntium novissimum agmen adgrederentur, inde certamine orto, longius a castris eos elicuissent, facile, ubiubi essent, se, qui equitatu et levi armatura plus possent, conversuros aciem,* quia *cum*, quod inde a Grynaeo ante *longius* addi solet, deest in codice (id quod Madvigium fugit), ambiguum esse nobis fatemur, quomodo emendanda sint. Neque vero de facilitate tantum corrigendi agitur, quamquam ne ea quidem sine damno negligitur, sed de usu Liviano plurimis exemplis confirmato, quo *cum* coniunctio ab initio orationis reiecta ante ipsum verbum aut proxime a verbo ponitur, nec in primariis solum sententiis, sed etiam in iis quae mediae aliis interiectae sunt. Cui non solum talia placuerunt

duo armati procurrebant, comminatique inter se, ab ima in summam testudinem per densata scuta cum evasissent 44, 9, 7

Cassandreae deductae naves in portus primum, qui sub Atho monte sunt, inde Tenedum placido mari cum traiecissent 44, 28, 3

legati Romani, C. Popilius . . . a Chalcide profecti tribus quinqueremibus Delum cum venissent 44, 29, 1

Is ad occupatas iam aures sollicitatumque iam animum cum venisset 45, 19, 9

Marcius et Atilius ad Gitanas, Epiri oppidum, x milia a mari cum escenderent 42, 38, 1

Valerius Flaccus cercuros ad persequendam retrahendamque navem cum misisset, 23, 34, 4,

quae innumera sunt, sed quae etiam magis memorabilia videntur

Permissum ab senatu iis cum esset 27, 10, 2

Ea ita futura per quosdam Thurinos comperta Hannibali cum essent 27, 26, 5

Phileas Tarentinus diu iam per speciem legationis Romae cum esset 25, 7, 11

Haec renuntiata regi ad naves, ubi restiterat, cum essent 35, 47, 1

Haec renuntiata Pheras legatio cum esset 36, 9, 8.

Quae si attendissent critici, pridem probe adornare poterant, quae 26, 17, 13 leguntur, *ne tum quidem suspecta fraus. Cum esset data venia eius diei, extemplo*[*que*] *Hasdrubal cum equitatu elephantisque castris egressus sine ullo tumultu in tutum evasit*; quae vulgo, etiam a Madvigio et Luchsio (Hertzii ratio diversa est), prave eduntur deleta *que* particula. Qua servata et oratione recte distincta vera oritur sententia, *ne tum quidem suspecta fraus cum esset, data venia eius diei extem-*

ploque Hasdrubal . . in tutum evasit. Quam tandem in editione a. 1881 ab Hermanno Iohanne Muellero restitutam videmus.

Quibus addimus non sine consilio

et alia ingens praeda fuit, quam Hanno, populabundus passim cum isset, ex sociorum p. R. agris traxerat 25, 14, 11

Ad ducentos, improvidos cum invasissent, occidunt 29, 7, 9; quae non semper sic ut par est interpunguntur et a nonnullis prave accipiuntur;

ad insulam . . . appulerunt et, quibus ante abstinuerant templis signisque, cum hostiliter diripuissent 37, 21, 7

Ibi castra metatus latius quam pro copiis et plures, quam quot satis in usum erant, ignes cum accendisset 36, 10, 12.

Haec selecta de multis fidem dabunt, illis duobus locis, quae principio sunt huius capitis, particulam errore omissam eo loco a nobis interponi iussam esse, quem utrumque et probabilitas addendi et certissimus mos Livianus ostenderet. Quae cum ita sint, nec quae 44, 37, 8 sunt in codice, *nocte, quam pridie nonas Septembres insecuta est dies, edita luna hora cum defecisset,* recte transponi videntur, *edita hora cum luna defecisset* (sic in utraque editione Weissenborniana), cum satis sit reponi, quod olim vulgabatur, *edita hora luna cum def.*, ac praestat fortasse ab omni correctione abstinere, si quidem non tam collocatio ipsa offensioni est (poterat enim sine offensione scribi *edito luna momento cum def.*) quam cumulata terminationum similitudo, sed talia Livium non refugisse multa exempla monstrant; et incerta sunt quae 44, 19, 1 ex Grynaei et Kreyssigii sententia hodie vulgantur, *cum in exspectatione patres fuissent, maxime quidnam consul de Macedonia, cuius ea provincia esset, referret, nihil se habere Paulus, quod referret, [cum] nondum in[de] legati redissent, dixit.* Cum enim omissa *cum* particula in codice scriptum sit *nondum in legati redissent,* probabiliore supplendi genere simul consuetudini Livianae melius satisfieri videatur, si scripseris *nondum* [*cum*] *legati redissent* sive *nondum* [*cum*] *in*[*de*] *legati redissent,* quamquam *inde* ex *in* eo loco quam recte efficiatur dubitamus.

v. Libro 44, 21, 8 haec sunt in codice Vindobonensi. *eas* (*legiones*) *repleri, ut sena milia peditum, trecenos haberent equites*; *ceteros peditesque in praesidiis disponi.* Mancam orationem Grynaeus ita supplevit, ut *ceteros* [*equites*] *peditesque* scriberet. Contra Hertzius *ceteros pedites* [*equites*]*que* edidit eo auctore quem ipse citavit. Neglexit hoc aut repudiavit Madvigius, qui retinuit quod inde a Grynaeo vulgabatur; non neglexit et approbavit Muellerus (nam Weissenbornius quid voluerit, non liquet). Quid potest esse levius quam ista nomina hoc an illo ordine coniuncta fuerint? Et tamen quivis scire potuit, qui modo scriptoris morem etiam in re minuta attenderit, Livium in hoc astricto genere dicendi plerumque hanc collocationem *pedites equitesque*, perraro contrariam praeferre. Quin igitur reddimus

ei, quod ut exploratus usus eius poscit, ita supplendi ratio commendat, *pedites* [*equites*]*que**). Et saepe momentum facit in emendando, non neglexisse, quid supplendi probabilitas suadeat, velut 21, 52, 11 *varia inde pugna sequentesque cum ad extremum aequassent certamen, maior tamen hostium* . . . [*penes*] *Romanos fama victoriae fuit*, cum *sequentesque*, quod est in Puteano codice, duplici modo suppletum irent, partim [*cedentes*] *sequentesque*, alii *sequentes* [*cedentes*]*que*, illa ratio docere poterat, utri parti accedendum esset; eademque utilis esse potuit 21, 50, 7 *ei fretum intranti rex Hiero classem ornatamque obviam duxit.* Haec enim Puteani codicis scriptura cum indicium esset mutilatae orationis, quod olim prave deleta *que* particula obrutum est, supplementa varia proposuerunt, [*armatam*] *ornatamque;* [*instructam*] *ornatamque;* [*paratam*] *ornatamque*; sed illam rationem consulenti nihil veri similius videri poterat, quam quod ab Hertzio acceptum praeter Madvigium plerisque probatur *ornatam* [*armatam*]*que.* Cum enim Livius, qui 24, 48, 7 *armandi ornandique et instruendi artem* dicit, alibi *acies ornata armataque*, 10, 40, 12; 27, 13, 10 *ornati armatique* . . *aderant* scribat, quid cunctamur ei reddere, quod cum orationem restituat, patefacta causa erroris emendationem adiuvet. Variat autem Livius etiam alibi, velut 26, 13, 17 *epulae instructae parataeque;* 37, 26, 1 *classem quae instructa ac parata fuerat* (cf. 37, 23, 9); 27, 15, 7 *naves instructae parataeque;* sed idem 25, 38, 13 *paratos instructosque fuisse;* 30, 3, 4 *classem paratam instructamque* (cf. 36, 41, 6 et 43, 12). Quare cum 29, 24, 7 in Puteano codice scriptum esset *iam omnibus instructisque*, dubitari non debuit, quod tamen addubitatum est, quin Livius *omnibus instructis* [*paratis*]*que* scripsisset; id quod nunc etiam codicum quorundam fide confirmatur. Porro 26, 7, 6 *Numidam promptum ad omnia audendaque donis pellicit* prave olim, nuper a Madvigio, *que* particula deleta est; quod eo magis improbandum videtur, quia Livio nihil frequentius est quam synonyma copulata; ab iis autem qui supplementa orationis mutilatae quaesiverunt, varia temptata sunt, sed proxime a vero abesse videntur, qui *omnia* [*agenda*] *audendaque* scripserunt, debebant enim ordine inverso *audenda* [*agenda*]*que.* Nam Livius, qui 25, 23, 15 scribit *ad rem tantam agendam audendamque;* 25, 16, 19 *agentes audentesque*; 35, 35, 16 *agenda res est audendaque*, idem 22, 14, 14 *audendo atque agendo;* 22, 53, 7 *audendum atque agendum;* ut suum ei restituere videamur, cum scribimus *ad omnia audenda* [*agenda*]*que.* Madvigius autem etiam alibi *que* particula, certissima corruptelae indice, sublata erravit, velut 26, 13, 9 *illud irae atque odii exsecrabilis indicium est;* nam *execrabilisque*, quod est in codice Puteano, non *que* deleri, sed simile sibi nomen addi iubet; quale, docet 39, 51, 4

---

*) Non simplex ratio est eorum quae 28, 13, 5 leguntur, *inde ad Baeculam urbem progressus omni exercitu civium sociorum peditum equitumque quinque et quadraginta milibus,* sed *peditum*, quod in Puteano codice omissum est, terminatione vocis antecedentis videtur extritum esse.

Romanorum inexpiabile odium; sed non [*inexpiabilis*] *execrabilisque,* verum collocatione contraria *odii execrabilis* [*inexpiabilis*]*que* scribendum erat; item 25, 14, 8 *ab revocandoque ad incitandos hortandosque versus milites* ille *que* abiecit, cum etiam aequabilitas orationis suaderet, ut reponeretur, quod Weissenbornius auctor fuit, *ab revocando* [*remorando*]*que.* In ordine autem restituendo a multis peccatum est. Ita 26, 24, 2 *cum Syracusas Capuamque captam in fidem in Italiaque rerum secundarum ostentasset, Siciliam* nimirum addiderunt, sed hac serie *in* [*Sicilia*] *Italiaque;* quod ne quis commendari aut posci credat eo, quod eodem ordine *Syracusas Capuamque* nomina praecesserint, Livius 26, 41, 14 scribit *in dies laetiora ac meliora in Italia Siciliaque geruntur,* et deinde rem ita exponit, *in Sicilia Syracusae captae . .*, *in Italia Arpi recepti.* Idem rursus 27, 40, 4 *multa secunda in Italia Siciliaque gesta.* Quare nuper tandem, quod ipsa corrigendi facilitas suggerebat, repositum est *in Italia* [*Sicilia*]*que.* Non nos hanc totam causam excussis exemplis omnibus persequi voluimus, sed satis sit nobis paucis speciminibus selectis probasse, quid in hac orationis forma et hoc genere corruptelae caveri maxime et observari oporteat. Et in tertia quidem annalium Livianorum decade illi quam commendamus rationi magnum adiumentum accessit, ex quo praeter Puteani codicis fidem librorum ex Spirensi ductorum memoriam consulendam esse intellectum est. Sed tamen et in illis libris et alibi etiam nunc supersunt, in quibus aut de defectu parum recte statuatur, aut, si defectus constat, supplendi rationi nondum omni ex parte satisfactum videatur. Ex iis duo, de quibus certius iudicari posse putabamus, perstringemus brevi. Libro 25, 15, 16 haec tradita sunt.

> *Seditio inde paulisper tenuit, cum inde alii cedendum fortunae et tradendam urbem victoribus censerent.*

Ut mittamus quae olim coniecta sunt, initium emendandi fecit Ioannes Fredericus Gronovius, qui *cum in fide* [*manendum alii*], *alii cedendum fortunae* proposuit; eumque secutus Hertzius scripsit, quod postea receptum est paene ab omnibus, *cum in fide* [*alii manendum*], *alii cedendum f.* Atque *in fide* ex *inde* verissime recuperatum putamus, ceterum Gronovii commentum orationis conformatione, Hertzii facilitate emendandi probari magis videtur, neutrum omnes probabilitatis numeros explere. Utrique rei pariter satisfactum erit, mutila sententia hoc modo suppleta, *cum* [*alii manendum*] *in fide, alii cedendum fortunae . . censerent.* Et apparet quam levi errore librarius cum a *cum* ad *dum* aberraret media praetermiserit; similiterque peccatum est alibi, 42, 47, 5 *denuntiare etiam interdum* [*pugnam et locum*] *finire;* 36, 8, 2 *dies ad conveniendum* [*cum*] *exercitu Pheras est indictus;* eodemque referendum est quod supra capite IV tetigimus 44, 19, 1 *nondum* [*cum*] *legati redissent.* Quod vero ponimus *manendum in fide,* eodem ordine Livius 27, 1, 14 *nec mansuram in fide;* 31, 7, 12 *quietura aut mansura in fide creditis.* Idem 36, 12, 2 cum ita scribit *cum in contione, quidnam respondendum regi esset, consultaretur et alii manendum in Romana societate, alii non aspernandam amicitiam regis censerent,*

eandem verborum collocationem sequitur; simul haec exemplo sunt, per *alii-alii* quomodo sententias connectere soleat; quibus similia sunt 36, 10, 7 *in diversum sententiae tendebant, aliis .. censentibus, aliis .. memorantibus;* 35, 25, 6 *cum principum alii in sententia permanerent, alii utendum .. censerent;* 35, 36, 7; 36, 6, 9; 37, 34, 5. Idemque genus erat ante defectum 44, 35, 5 *itaque cum* [*alii* . . .], *alii praecipites sine responso agendos castris;* nam a priore *alii* scriba lapsus est ad alterum; et 27, 28, 3 *ibi duo duces sagaciter moti sunt, alter ad inferendam fraudem;* quae quod Madvigius ad idem peccatum revocavit, ut ab *alter* ad *alter* aberratum sit, *alter* [*ad cavendam, alter*] *ad inferendam fraudem*, nobis cum plerisque probabilius videtur ab exitu verbi *inferendam* initium erroris factum esse Liviumque scripsisse *alter ad inferendam*, [*alter ad cavendam*] *fraudem.* Quod vero legitur 37, 11, 12 *navium reliquarum ante portum aliae, aliae in portu deprensae*, et 45, 24, 2 *litem aestimari vestris inter vos sermonibus audio: favisse nos regi et illum vincere maluisse, ideo bello persequendos esse credunt* [*alii*], *alii vestrum voluisse quidem nos hoc* (nam sic esse scribendum cum Grynaeo nobis persuadetur, non cum Madvigio *alii vestrum*, [*alii*]), documento est, Gronovianam rationem eo de quo dicimus loco a Livii more non abhorruisse, si satis probabiliter restitui potuisset, Hertzianam qui firmemus in promptu non est; quodsi tamen ea quoque stabiliri fortasse potest, illam quam iniimus emendandi viam propter alia non iri improbatum paene confidimus. Alterum et illi simile, quod disceptaturi eramus, hoc est. L. 26, 39, 23 haec mutila in codice Puteano exarata sunt.

Ita aequatae res ad Tarentum Romanis victoribus mari.

Quod vulgatur, ex editione Mediolanensi a. 1505 receptum est, *Romanis victoribus* [*terra*, *Tarentinis*] *mari.* Quo modo sententia quidem recte ad integritatem revocatur, id quod facile erat ex superiore narratione, sed supplementis adhibitis, quae probabilia non sunt, ut mirere iis plerosque acquiescere. Unus Hertzius, ut huic quoque desiderio satisfaceret, ita edidit, *Romanis victoribus* [*terra, Tarentinis victoribus*] *mari.* In quibus duplex *victoribus* non est sane quod reprehendatur, si quidem Livium constat nonnumquam bis idem nomen in eadem oratione ponere, cum satis esset unum posuisse (de quo genere supra diximus in capite III), sed in hac succincta oratione valde placere non potest. Suspicamur Livium haec dedisse, *Romanis* [*terra*, *Tarentinis*] *victoribus mari.* Quod si recte statuitur, apparet librarium terminatione nominum deceptum a *Romanis* aberrasse ad *Tarentinis.* Qua in re ne quem collocatio nominis *victoribus* offendat, quod cum ad utramque partem orationis referatur, in altera ita positum est, quasi ad hanc solam pertineret, eius collocationis non desunt exempla Liviana. 26, 27, 12 *nullam enim in terris gentem esse, nullum infestiorem populum nomini Romano;* expectaveris non una de causa hunc ordinem, *nullam gentem esse, nullum populum infestiorem n. R.*; 30, 30, 7 *ne vobis quidem Sicilia ac Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus, tot exercitibus, tot tam egregiis amissis ducibus;* nam *amissis*

commune verbum trium est; 30, 38, 1 *quae publica in navibus fuerant, ex publicis descripta rationibus quaestores, quae privata, profiteri domini iussi;* alia multa. Quibus exemplis facile percipitur, quid scriptor consequi ista collocatione aut cui voci vim addere voluerit. Ita *victoribus* quod non ultima sed paene ultima vox est in ista sententia, acuitur id quod contrariorum ratio acui iubebat, *mari.*

VI. Aliud genus criticae observationis suppeditant quae 29, 14, 8 leguntur.

> *P. Scipionem, Cn. filium, eius qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum quaestorium, iudicaverunt in tota civitate virum optimum esse.*

Sic haec vulgabantur usque ad I. Fr. Gronovium, qui quia in codice Puteano et quibusdam aliis scriptum offenderat *virum bonum optimum*, Livium *virum bonorum optimum* scripsisse coniecit, eamque scripturam, firmatam insuper exemplo tituli notissimi, qui haec verba habet, *duonoro optumo fuise viro*, omnibus deinceps editoribus probavit. Neque vituperanda est oratio, quam Livio vindicavit, sed tamen interpretes quod tam fidenter eam propagarunt, res duas videntur neglexisse, quae maxime attendendae erant. Quarum prima est, quod non semel sed saepius eam rem rettulit Livius.

> 29, 11, 6 *cum Romam deam devexissent, tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romae esset, hospitio exciperet;*
>
> 29, 11, 8 *deam apportari; quaerendum virum optimum in civitate esse, qui eam rite hospitio acciperet;*
>
> 29, 14, 6 *haud parvae rei iudicium senatum tenebat, qui vir optimus in civitate esset;*
>
> 29, 14, 8, quae verba, de quibus agimus, supra scripta sunt;
>
> 35, 10, 9 *quem (ducebat) tantum praeiudicium senatus, virum e civitate optimum iudicatum;*
>
> 36, 40, 8 *sibi gloriae illo die satis quaesitum esse, quo se virum optimum iudicatum ad accipiendam matrem Idaeam misisset senatus.*

Livium enim, quem quinquies *virum optimum* appellavit, eundem semel maluisse *virum bonorum optimum* dicere, nisi certissima fide testium cogente, credi non potest. De testibus autem, idque alterum est, quod in hac causa disceptanda negligi non debebat, exploratum est hodie, quod Gronovius sua aetate scire non potuit, in hac parte operis Liviani duplex esse genus librorum, quorum neutrum alteri in omnibus praestet, sed quod utrumque par sit sedulo consuli, ut ubi dissentiant ratio diiudicet, utra pars verum praebeat. Ita factum est, ut Puteani fide, qui diu solus regnavit, alterum genus testium, quod libris compluribus cum Spirensi deperdito quadam cognatione coniunctis continetur, saepe superius visum sit. Quam ob rem cum unus Puteanus codex exhibeat, quod Gronovio occasionem coniecturae dedit, *virum bonum optimum*, ceteri testes, qui a Spirensi pendent, in eo conspirent, quod ante Gronovium vulgabatur, *virum optimum*, cur dubitamus hoc, quod Livium secum consentientem reddit, illi praeferre, quod ipsum pravum

est et emendatore indiget, cum praesertim hoc qua origine natum sit manifestum videatur. Etenim librarius, cum *virum optimum* scribere deberet, ab errore mentis, inducente sententia, posuit, quod vulgare est (v. c. apud Livium legitur 22, 39, 3), *virum bonum*, sed ita ut adderet ab exemplari repetitum *optimum*. An aliter in eodem codice ortum putamus aut *anno* 27, 29, 10 *quia Aetoli summum gentis suae magistratum ad eum proximo* [*anno*] *concilio detulerant*, ubi ex *anno*, quod Puteani codicis proprium est, nihil efficiendum erat; aut *modo* 28, 40, 5 *consulem peccare arbitror, qui de re transacta simulando se referre senatum ludibrio habet, non senatorem* [*modo*], *qui, de quo consulitur, suo loco dicit sententiam;* multaque similia Augustus Luchsius congessit in Livii sui Prolegom. p. LXV. Qui 28, 22, 12 *neque erat ulla satis firma statio opposita, quia nihil minus, quam ne egredi* [*posset*] *moenibus auderent, timeri poterat* recte quidem *posset*, quod habet solus codex Puteanus quodque nonnulli corrigere temptarunt, secludendum potius esse censuit, sed rationem, qua procreatum putabat, satis artificiosam nobis non probavit, qui simplicem errorem agnoscimus, eundem quem supra, fallaci specie sententiae animo oculisque scribentis oblata. Neque secus vitium explicandum videtur, quod est in codice Vindobonensi 44, 22, 4 *illud affirmare pro certo* [*habeo*] *audeo;* non enim scripturae artificio, quale Hartelius excogitavit, ex *audeo* natum est *habeo*, sed cogitandi errore librarius, quia *pro certo habeo* consueta est dicendi ratio (velut Livius scribit 23, 17, 10 *satis pro certo habuere*; 29, 21, 10 *pro certo se habere*), hoc verbum applicavit ad illa quae sunt *pro certo*, deinde ab exemplari suo suggestum, quod verum erat et necessarium, addidit *audeo*.

VII. In extremo capite non sine haesitatione conamur locum explicando tutari, qui plerisque vitioso additamento aut aliis turbis deformatus videtur. Libro 29, 27, 2 cum in eo est ut in Africam classe traiiciat Scipio ita precatur.

> *Divi divaeque, qui maria terrasque colitis, vos precor quaesoque, uti, quae in meo imperio gesta sunt geruntur postque gerentur, ea mihi, populo plebique Romanae, sociis nominique Latino, qui populi Romani quique meam sectam, imperium auspiciumque terra mari* amnibusque *secuntur, bene verruncent, eaque vos omnia bene iuvetis, bonis auctibus auxitis — —*.

Non vanum est, quod de *amnibus* tertio loco ad *terram* et *mare* adiectis docti addubitantes aut deleverunt vocem ineptam aut suo loco motam mutata forma in alium transtulerunt. Quorum conaminum nullum est quod sua simplicitate placeat; qui vero falso illatum nomen existimant, additamenti causam non aperiunt. Quo magis inquirendum est in vim sententiae, ne forte imprudentes abiiciamus, quod consulto scriptor addiderit. Qui nobis videtur, cum haec tria *terram mare amnesque* copulavit, vias quaecumque esse possunt omnes tam terrestres quam quae mari vel amnibus parantur complecti voluisse; in qua re, si forte auctor Romanus non erat, poterat Graecorum moris memor esse, qui in terra et mari distinguendis saepe non subsistunt, quin mari insuper addant flumina. Ut mitta-

mus, quod Iliadi (21, 195) ἐκ βαθυρρείταο Ὠκεανοῖο sunt πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρά, aut Hesiodus (Theog. 108) Musas iubet narrare ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ καὶ γαῖα γένοντο, καὶ ποταμοὶ καὶ πόντος ἀπείριτος, οἴδματι θύων, ἄστρα τε λαμπετόωντα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν, Theocritus scribit (17, 91) θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ, ubi dubites, θάλασσα καὶ ποταμοί, an potius αἶα καὶ ποταμοὶ iungantur, ut in Iliade (3, 276) Atrides precatur Ζεῦ πάτερ.. ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ ποταμοὶ καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας ἀνθρώπους τίνυσθον. Euripideus autem Hercules cum ita lamentatur (1295) φωνὴν γὰρ ἥσει χθὼν ἀπεννέπουσά με μὴ θιγγάνειν γῆς καὶ θάλασσα μὴ περᾶν πηγαί τε ποταμῶν, tribus generibus compositis indicat, nusquam sibi terrarum locum transeunti paratum esse. Quem locum in eadem tripartita divisione dilatavit Seneca in Hercule (1321—1330). Itaque Livius in contrariam sententiam, uti vias omnes, quas quis ire possit, designet, illa *terra mari amnibusque* videatur Scipioni in ista oratione elata et grande quiddam spiranti dedisse.

Scr. m. Decembri a. MDCCCLXXXIX.